



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Lvitprandi Ticinensis Diaconi Opvscvlvm, De Vitis Romanorvm Pontificvm**

**Liutprandus <Cremonensis>**

**Mogvntiae, 1602**

XXXVIII. S. Felix. II.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11115**



sibi commissa sunt, permanere, dicente Domino. Beatus, qui perseuerauerit vs. *Matt. 10. &*  
 que in finem, & cætera. Ideoque fratres carissimi, non vos afflictionum <sup>24.</sup>  
 amaritudo à pio mentis vestra proposito coarctet recedere. Attendite itaq;  
 vobis & omni gregi, in quo Spiritus sanctus vos constituit Episcopos regere Ec- *Acto. 20.*  
 clesiam DEI, quam acquisiuit proprio sanguine suo, vt non sit, qui vos decipiat,  
 ac seducat in \* sublimitate sermonis, vt plebes vobis commissas relinquatis, & \* subtilitate  
 \* alicubi propter opprobrium malorum hominũ quieti vos tradatis, vt vos so-  
 lummodo saluetis, & filios orphanos relinquatis. Item in eadem de ob-  
 seruatione canonũ eisdem ita monet dicens. In nullo patiamini pro-  
 uidentissima decreta canonum violari, quatenus & Nicænorum canonum in-  
 stituta, & quæ à nobis, vel à prædecessoribus nostris prouidè & salubriter sunt  
 decreta, intemerata permaneant.

## XXXVIII.

## S. FELIX. II.

A. CCCLV.

FELIX, natione Romanus, ex patre Anastasio, sedit annum  
 I. menses 3. dies 2. Hic declarauit Constantium filium Con-  
 stantini esse hæreticum, & secundo rebaptizatum ab Eusebio  
 Nicomediensi. Et quia hoc declarauit, ideò postea prædicti Con-  
 stantii præcepto capite truncatur in ciuitate Coranna 3. Idus No-  
 uemb. Hic consecrauit Episcopos 19. presbyteros 21. diaconos 5. <sup>a epist. 1.</sup>  
 Hic in epistola<sup>a</sup>, quam destinauit Athanasio, & vniuersis Ægypti-  
 orum, Thebaidorum ac Libyorum Episcopis quædam capitula à  
 sanctis Patribus, tam in Nicæna Synodo, quàm in sancta Romana  
 sede constituta interseruit, quibus prædicti Episcopi fulti inimico-  
 rum insidias melius possent euadere, quæ & nos huic opusculo  
 inferere non inutile videtur. Sic autem incipit.

*Est autem Synodicis decretum institutis, vt nemo Episcopum penes secu- 1.*  
*lares arbitros accuset, sed apud summos primates. Si quis aduersus Episcopum 2.*  
*causam habuerit, nõ prius alios Episcopos adeat, vt eũ accuset, quã familiariter*  
*ei indicet suam querelam, & ab eo aut iustam emendationem, aut rationabilẽ*  
*percipiat excusationem ipsa nos instruente Veritate. Si peccauerit in te frater*  
*tuus, vade & corripe eum intra te & ipsum solum: Si te non audierit, ad- 3.*  
*hibe duos vel tres testes. & si vos non audierit, dic Ecclesia, id est, tunc accusa*  
*eum publicè, & non prius, & reliqua. Si quis Episcopum post hæc elegerit ac-*  
*cusare, summis Primatibus Episcoporum suam indicet causam, & non secu-*  
*laribus, qui magis ad pacem, quàm ad iudicium eos reuocent, vt caritas in o-*  
*mnibus, & ab omnibus custodiatur. Si Primates, aut Episcoporũ accusatores cũ 5. q. 2. c. si pri-*  
*eis pacificare familiariter minimè poterunt, tunc tempore legitimo eos ad Syn-*  
*mates.*



- nodum canonicè conuocatam non infra angusta tempora canonicè conuocent,  
 \* quam est. & prius \* eis per scripta significant quid eis opponant, ut ad responsionem parati veniant. Nam si aut vi aut timore eiekti fuerint, aut suis rebus exspoliati, nec canonicè ad Synodum vocari possunt, respondere emulis debent, antequàm  
 4. canonicè restituantur, & sua omnia eis legaliter reddantur, & Præsul prius restituatur, & postea non statim, sed diu, & spaciosa tempora suis potestatiuè dispositis, & ad suam necessitatem preparatis ad tempus veniat ad causam,  
 5. & si iuste visum fuerit, accusatoribus respondeat suis. NVLLI infami, atque sacrilego de quocunque negotio liceat aduersus religiosū Christianum, quamuis humilis, seruilisq; persona sit, testimonium dicere, nec de qualibet re, actione,  
 6. aut inscriptione Christianum impetere. Si quis Episcopus legitime accusatus, & supra dicto ordine ad Concilium canonicè vocatus fuerit, absque vlla trepidatione ire debet, & si ipse non potuerit, pro se legatum ad Synodum mittat.  
 7. Nulla causa à iudicibus Ecclesiasticis audiantur, quæ legibus non continentur,  
 8. vel quæ prohibita esse noscuntur. Si quis aliter non acquieuerit nisi Episcopum accuset, supra taxato hoc tenore agere debet, quia accusatio aliter non potest rata existere. Tunc primò accusati causam ad primates accusator canonicè deferati: nec à communionem prohibeatur accusatus, nisi in electorum iudicium canonicè euocatus infra 3. aut 6. aut plures menses pro \* his rationem redditurus venire distulerit, sed si venire nō potuerit, nihil ei nocebit. Ille verò, qui \* aut timore à sede pulsus, aut suis rebus fuerit exspoliatus, nō prius vocetur ad Synodū, quàm omnia legibus ei redintegretur, & tã diu, in sede ppria pacifice & potestatiuè cūcta disponens resideat, quàm diu expulsus, vel exspoliatus carere visus est suis rebus. Cū autē ad iudiciū venerit, si voluerit & necesse fuerit induciæ ei potēti à \* fratribus cōstitutæ absq; impedimento cōcedatur, & iudices à se electi tribuantur in loco, vnde est q; accusatur, aut si \* aliquā temerariæ multitudinis vim meruerit, locū sibi congruū eligat, quo absq; timore suos, si necessitas exposcerit, testes habere, & absq; impedimento suam canonicè sententiam finire valeat, quia multa per subreptionem euenire solent. Vt testificandi licentia denegetur his, qui Christianæ religionis & nominis dignitate, & legis, vel sui propositi normam, vel regulariter prohibita neglexerint. Multum derogatio praualet, quando derogatori creditur ideò variis \* detractionibus atque accusationibus non debet labefactare primatem, sed magis Patrum regulis roborari, ne facile, aut indifferenter suscipere accusationes presumat, dicente Domino. Non suscipias vocem mendacii. Prius probare debet suspicionem, & causam, aut quo animo hoc faciat, & postea suscipere, quia veritatis professionem \* propinquitas, inimicitia, timoris, amoris, odii, & cupiditatis intentio impedire, & aduersa fratribus irrogare solet. Persona accusantiū tales esse debent, quorum fides, conuersatio, & vita probabilis, & absque reprehensione sit, & qui omnium careant suspitione, quia & hoc \* tempore presenti, ut bene nostis, in

\* suis

\* vi aut

3. q. 2. c. tam  
diu.

\* patribus

\* alibi

10.  
\* detractionibus.

Exo. 24.

\* propinquitatis

\* te presente

stis, in



tis, in Nicana Synodo propter malorum hominum insidias sunt hæc & alia  
 quam plura \* delata. Primate illi & non alii sint quam qui in prædicta Sy- \* del. ta.  
 nodo sunt constituti. Reliqui verò qui Metropolim sedem tenent Archiepisco- 12  
 pi vocentur, & non primates, salva in omnibus Apostolica sedis dignitate, qua Math. 16.  
 \* & ab ipso Domino concessa, & postea à sanctis Patribus roborata est. Primò \* ei  
 semper in omnium Episcoporum accusatione persona, vita, & conuersatio ac- 13.  
 cusantiam enucleatim inquiratur, & postmodum ea, quæ obiciuntur, fide-  
 ter pertractentur, quoniam nihil aliter fieri debet, nisi \* prædictorū fides, per- \* impetitorū  
 sona, vita & actus discutiantur, quia non debet prauorum, aut insidiantium  
 hominum pernicies vitam lacerare innocentium. Sanè sapissimè à malis boni  
 persequuntur, qui non cessant suis calamitatibus aliis derogare: ideo summo-  
 pere est prauendum, ne hæc fiant. Nullus seruus, nullus liber, nullus infidelis, 14.  
 nullus criminibus irretitus, nullus calumniator, nullus qui inimicitias studet,  
 nullus qui \* libenter litigat, & ad accusandum vel detrahendum est facilis, \* frequenter.  
 nulla infamis persona, vel quos ad accusandum publica crimina leges publica  
 non admittunt, Episcopos accusare præsumant, quoniam accusatores, & accu-  
 sationes, quas seculi leges non recipiunt, qua ratione sacerdotalis eas ordo reci-  
 pere debeat, inuenire nequeo, cum hæc & in Nicana Synodo prohibita sint, &  
 illi magis ab istis, non isti ab illis iudicari debeant. Et Apostolus dicit, Spiritua 1. Cor. 2.  
 lis iudicat omnia, ipse verò à nemine iudicatur. HÆRETICI, à quibus nimi- 15.  
 um opprimimur, excommunicatiq; homicidæ, malefici, fures, sacrilegi, raptors,  
 venefici, adulteri, & qui raptum fecerint, vel falsum testimoniū dixerint,  
 seu qui ad sortilegos magosq; concurrerint, nullatenus ad accusationem, vel ad  
 testimoniū erunt admittendi. NON ita in Ecclesiasticis agendum negotiis, sic- 16.  
 ut in secularibus. In secularibus enim, postquam legibus vocatus venerit, &  
 in foro decertare cæperit aliquis, non licet ante peractam causam recedere: in  
 Ecclesiasticis verò, causa dicta, licet recedere, si necesse fuerit, aut prægrauari se  
 viderit. QUOTIENS Episcopus super certis accusatur criminibus, si tales 17.  
 fuerint accusatores, qui iuste & canonicè recipi debeant, Synodo legitima in  
 suo tempore congregata, ab omnibus canonicè audiatur, qui sunt in prouincia,  
 Episcopis. Quod si non legitimi fuerint accusatores, non fatigetur Episcopus,  
 quia sacerdotes ad sacrificandum \* vocari debent, non ad litigandum, nec illi \* vacare.  
 qui throni Dei vocantur, prauorum hominum insidiis debent turbari, sed li-  
 bere Christo Domino famulari. Quamuis prouincialibus Episcopis vna cum 18.  
 Metropolitano eorum causas suæ prouinciæ Episcoporum liceat caritatiuè &  
 concorditer agitare, non tamen sicut in prædicta Synodo constitutum est, licet  
 diffinire absq; Romani Pontificis auctoritate. Quod si secus à quibusdam præ-  
 sumptum fuerit, ipsi, qui hæc egerint, suæ presumptionis suscipiant damnum,  
 & illi, qui ab eis perperâ excommunicati aut damnati fuerint, auctoritate hu-  
 ius sanctæ sedis, & beati præceptoris nostri clauigeri Petri potestate soluantur



Matth 16.  
19.

\* eorum.

\* n hil erit

20.

3.7.3.c. de in  
duciis

\* Episcoporu

\* a. 1.

atq; restituantur. Ipse enim Dominus ait. Quaecunque solueris super terram, erunt soluta & in caelis. Quotiens Episcopi se à comprouincialibus vel à Metropolitanano putauerint pragruari, aut eos suspectos habuerint, mox Romanam appellent sedem, atque absq; ulla detentione, & suarum rerum ablatione liberè ire liceat. Et dum prædictam Romanam appellauerint Ecclesiam, aut ab ea se audiri exposcerint, nullus eos, aut excommunicare, aut eorum sedes subripere, aut eorum res auferre, aut aliquid eis inferre præsumat, antequam \* amborum causa Romani Pontificis auctoritate firmetur. Quod si aliter à quocquam præsumptum fuerit, \* nihil eis oberit, sed viribus carere non est dubium. DE induciis verò Episcoporum, super quibus consulistis, diuersas à Patribus regulas inuenimus institutas. Quidam enim ad repellenda Impetitorum machinamenta, & suas præparandas responsiones, & testes confirmandos, & consilia \* eorum, & amicorum querenda annum \* & sex menses mandauerunt concedi. quidam autem annum, in quo plurimi concordant. minus verò quam sex menses non reperi, quia & hæc laicis indulta sunt, quanto magis & Domini Sacerdotibus.

Hic prædictus Papa aliam<sup>b</sup> epistolam scripsit vniuersis spiritualibus fratribus, & reliquis in sacerdotali Collegio Domino cōsecratis, in qua eos studiosissimè hortatur persecutiones & tribulationes patienter sustinere, vt eius filij inueniantur, quem cottidie patrem inuocant Deum in caelis, & vt detrahentibus non detrahant, sed cuncta in spiritu humilitatis peragant, & in patientia longanimitatis, quæ sunt docenda, edoceant.

A. CCCLXVII.

XXXIX.

S. DAMASVS.

DAMASVS, natione Hispanus, ex patre Antonino, sedit annos 18. menses 3. dies 11. Cum isto ordinatur in contentione Ursinus: sed factò Concilio sacerdotum constitutus est Damasus, quia fortior, & plurima multitudo erat. Ursinus autem eiectus est ab vrbe, & Neapolis constitutus Episcopus. Damasus autem postea inuidiosè adulterij arguitur, & facta inde Synodo à \* 48. Episcopis expurgatur: accusatores autem eius Concordius & Callistus diacones à Concilio sunt damnati, & de Ecclesia eiecti. Hic ordinauit Episcopos 72. presbyteros 31. diaconos 11. Hic 2. Idus. Dec. obiit.

Hic in epistola<sup>a</sup>, quã Stephano Archiepiscopo Mauritanie, & vniuersis Africanæ prouinciæ Episcopis destinauit, eos instruit, qualiter Metropolitanos Episcopos, & summa Ecclesiastica negotia discutere liceat, ita videlicet, vt nemo ex eis desit, & omnes in singulorum negotiis concordent, & cætera in eadem ponit, quæ  
& ante-

\* 44.

\* epist. 3.